




UNIVERSITÉ DE PARIS

DISCOURS ET VERS

BIBLIOTHÈQUE
DE
L'UNIVERSITÉ





UNIVERSITÉS DE PARIS
BIBLIOTHÈQUE DE LA SORBONNE
13, RUE DE LA SORBONNE - 75257 PARIS CEDEX 05
TEL : 01 40 46 30 27 - FAX : 01 40 46 30 44

Inv.

SIGB

Sib11

SU

Cote

U 59-2 in-4

1153802526




Table


des ouvrages


Contenus dans ce volume.

1° Carvet (Guillelmus)	Sanguineus D. G. de Lamoignon de Imperatoria quidem in principem denatus Galliarum promotione. 11 Jan. 1683.
2° Bersan (M. A.)	Sereniss. principi Eurenno, Epitaphium.
3° Cavernier. (N)	Oratio funebus, habita 13 8 ^e 1683 cum Academ. dar. in aede R. N. Ch. Reginae Mariae Theresiae, austriacae.
4° Fencardent.	Eloge du Roi en vers français 1689.
5° Rollin (Car.)	ad ill. Vir. F. M. Le Cellier, marchio de Louvois, cum ejus filius C. de Louvois, Carmen.
6° Bosquillon.	A. M. le M. de Louvois à l'occasion d'un exercice public fait sur les Idylles de Theocrite par M. l'abbé de Louvois. Imitation du latin de Ch. Rollin.
7° Rollin (Car.)	M. abb. C. Le Cellier de Louvois, cum theses philosoph. in colleg. Nazarii tueretur. an. 1692. 9 Cal. 7bris Carmen.
8° Bosquillon	A. M. l'abbé de Louvois, sur la thèse qu'il dedie au Roi. Imitation des Vers latins de Ch. Rollin.
9° Billel (Petrus)	Sophia ad Artes et artes ad Sophiam. Quum C. L. Colbert de Seignelai theses de universa philosophia tueretur in doct. Senae. Calend. Aug. an. 1705. Ode
10° Guerin (Fr.)	Musam historiae praesidem. cum C. Coffin. L. Ode. 27 8bris 1710.
11°	Joas, tragedia, pour être représentée au collège d'Harcourt. (Imitation d'Alhalie de Racine)
12° Marin (Lud.)	Ad Joannem Boerinum. Epistola de Festivo. Carmen.
13° Guerin (Fr.)	Carmen, cum... Ludovico XV gratularetur publica oratione Crevier. (S. B. L.)
14° Doree (Car.)	Theatrum sit ne, vel esse possit schola informandis moribus idonea Oratio, habita die 13 martii 1733 in Reg. L. Magni Coll. S. J.
15° Marin (L.)	Regi ob restitutam Valetudinem Ode
16° Les Beuv (Ch)	In restitutam regi Valetudinem. Oratio gratulatoria habita 3. Xbris 1744.
17° Vanvilliers (J)	Ludovico, victori moderato, Oratio habita 4 nonas Octob. 1745.
18° Le Beau (J. L.)	De pace, oratio gratulatoria. habita die 27 feb. an. 1746.

- 19 Le Beau (Ch) De pace. Oratio gratulatoria habita an. 1763.
- 20 Louvel (Nic) De legum et litterarum conjunctione oratio, habita an. 1763.
- 21 Noël Ode sur la naissance de M^{le} le Dauphin.
- 22 Marin. Gamad. Epître aux français, sur la naissance du Dauphin.
- 23 Fresnois (J.B) In ortum sereniss. Delphini somnium.
- 24 Hanquet In ortum serenissimi Delphini Ode.
- 25 Richard (N.) Vers sur la naissance, de M^{le} le Dauphin adressés à la reine.
- 26 Sélis. Le prince désiré - conte de fées - présenté à la reine à l'occasion de la naissance du Dauphin.
27. Chivod (M.A.F) Oratio in recentem ortum S. D. habita nomine Univers. in exter. Sorbonae Scholis. 7 Januarii 1782.
- 28 Riquier. (J.P.) Ad Reginam infelicissimum S. Delphini ortum. Carmen.
- 29 Ode sur la naissance de M^{re} le Dauphin par un étudiant de 19 ans.
30. In ortum sereniss. Delphini Carmen.
31. Pour la distribution solennelle des prix du collège de Chalons. Exercices franç. pour le 26 Août 1766.
32. Exercice pour la distribution des prix par les écoliers de seconde du collège de Chalons. 24 Août 1768.







A D

JOANNEM BŒVINUM EPISTOLA

D E F E S T I V O.

(Ludovicus Marin auct.)

ON benè, multiplici qui scripsit hebe-
scere gustum
Doctrinâ, &, quò plura legit, quò plura
recondit

Quispiam, eò nostris minùs aptum lusibus esse.
Censuram hanc vel tu solus, B œ v i n e, refellâs,
Exemplo & doceas, fieri quî possit, ut idem
Nunc spinas inter Critices salebrasque moretur
Scriptor, mox aglli thyma grata supervolet alâ,
Instar apis libans, studio par unus utrique.
Non tamen hoc tribuens tibi, concedam quoque multis;
Nec, si fortè alius Longini Rhetoris altos
A Rimerur

Parisii

Typis C. S. Chiboust —

1723.



Rimeretur sensus, nomenve & scripta Pithœi
 Suscitet, aut magni musam defendat Homeri
 Doctus, continuò nugator & ingeniosus
 Daceriæ ad tumulum sciat Anacreonta gementem
 Sistere, vel DAGUESSEÏDIS meditati hymenæos
 CASTELUSÎ mores habitumque affingere Amori;
 Dissimile hoc longè est illi: cur, si vacat, audi,
 Dum quæro; nec te longum, BœVINE, morabor.

Sæpè mihi risum, bilem propè movit ineptus
 Vatum error, qui se Festivos posse videri,
 Quandocumque volent, sperant; imò fore, ut ipsis
 Accurrant jussi condendo in carmine Risus.

*Jam sordent mihi magna poemata, Flaccius inquit;
 Nescio quæ major Lepidis est gratia nugis;
 Has curo solas deinceps, & totus in his sum.*

Si rectè possis, laudo, & non est melius quid;
 Verùm age, dum calamos & scrinia versibus aptas
 Digna tuis, Flacci; bonus accipe pauca, loquamur.

Ergo tibi spondes blandâ novitate Jocorum
 Vincere lectoris fastidia, nil mediocre
 Sperantis, tali præsertim in carmine; quin &
 Splendorem obscuris, minimis pretium dare rebus,

E nudoque solo, aut dumis horrente, suaves
 Ferre rosas : tu scilicet è nihilo elicias rem,
 Et duo sic medius Festivi incommoda vites,
 Ut neque degeneret vilis tua Musa jocando,
 Nec versu pariter nimis ambitioso hilarescat.
 Hoc quidni possim, Cottæ quod posse beato
 Contigit, & multis Cottam qui sunt imitati?
 Heu! nescis quid sit Festivè dicere, Flacci,
 Qualis sitve operæ atque artis, ridere decenter.
 Ut plures, video, sic te horum prima fefellit
 Ludorum species, & cultûs munda supellex,
 Nativusque color; cepit lepor, ingenuique,
 Quos proprio Charites perfundunt nectare, risus:
 At sub eo, quamvis hilari, quamvis nitidoque
 Vultu, perfida quos celet scriptura labores,
 Quanta paret nescis misero tormenta Poëtæ:
 Si nondum credis, sine te per singula ducam.

Materies primùm tibi erit quærenda Jocosæ,
 (Quæ bona pars operis,) neque enim re luditur omni
 Aptè; sunt gravibus, sunt & sua carmina nugis.
 Si quis neglecti deplorat fata catelli,
 Fecit ut in * Plutone suo Santolius olim,

* Petit chien
 de Madame
 la Princesse.

In

In partem invitet catulosque venire doloris,
 Ridiculus fundat lacrymas, suspiria; rectè,
 His locus est; potuit sic flere Catullus in illo

* Du Bellai
 a fait l'épita-
 phe d'un petit
 chien, qu'il
 nomme Pello-
 ton.

Passere, sic Glomulumque suum plorare Belæus*;
 Sed malè, grandiloqui musam qui scurra Maronis,
 Deformem mutato habitu, stultèque loquacem,
 Olim compulit in viles migrare tabernas;
 Haud tales ratio patitur Naturaque lusus,
 Seria quæ graviter, jucundè læta cani vult.

Non fatis est autem Festivo ut idonea dicas;
 Quânam Festivi in regione moraberis autor?

Nam & Plauti rident, & rident Anacreontes;

* Martial.

Et Flaccus satyrâ, risitque epigrammate * Marcus;
 Omnes nec risu simili: novus hinc labor; hîc tum
 Pro genere in varios opus est se musa figuret
 Flexibilis vultus, diverso & ludat amictu.

Comica-ne est? sit læta facetaque; sit sale pungens,
 Si ludit satyrâ; sit acuta, epigrammata pangens.....

Quid caperas frontem malè torvus? Scilicet hæc tu
 Non sapias? At quid te teneat jam sentio, Flacci;

Vir bonus, & simplex, & pacis Filius, ultrò

Nolis vel modico perstringere scommate quemquam;

Et

Et benè: derisor nam deridetur & ipse.
Ergo tibi restat scribas ut more modoque
Anacreontæo; vel si nostratia mavis
Ludicra, Marotico (tenuis nam limes utrumque
Dividit) aut figmenta sciens Fontanica tractes:
Sed vel ibi quoties calamum culpabis inertem?

Nam tibi cautio erit ne quid Natura coloris
Deperdat proprii, neve asciscat peregrini,
Utpote, sicubi amet simplex & nuda videri,
Hic magis, ornatus vel dedignata modestos:
Quòque minus facere id possis, vis ipsa nocebit
Ingenii, &, quo forte aliàs confidis, acumen;
Dum metues necubi illudat, ne res tibi pingat
Iusto vividius, ne naturam oblinat arte:
Si tibi quis sensus splendeat, acutior ille est,
Ergo erit arcendus; pariter, si futilior sit,
Ne natum ad risus contristet frigore carmen:
Quid multis? tantò res ingeniosior illic
Esto, quantò apparebit minor ingenii usus;
Sitque artis supremus apex, ipsa arte carere.
Adde quod incertus verbo torquere in omni,
Ne quod discordet; teneras ne verberet aures

Asperius

Asperius ; ne quod lætam efferet horridius rem,
 Aut plusquam satis est parvam sublimius inflet :
 Denique tam multa officient , ut lassus , inanem &
 Deplorans operam , calamos & scrinia mittas ,
 Abjectisque Jocis cogare ad Magna reverti ,
 Hîc ubi se plano facilis via tramite sternit ,
 Aut ubi , si pecces , non quivis cernere possit.

Fors credas , BœvINE , hominem sapuisse salubri
 Consilio admonitum , penitûsque Joco abstinuisse ;
 Debuit , & certè cautus fecisset ; at ipse
 Festivos inter voluit se ostendere Vates ,
 Explosoque tulit meritum pro carmine nomen ,
 Sic ridet miserè , sic planè ingratus ineptit.
 Nec miror ; paucorum hominum nam ludicra res est :
 Non valdè studium , non lectio profuit illic ,
 Præceptorve bonus , noctesque diu vigilatæ :
 Sic fiunt Oratores , Vatesque severi ,
 Flexerius , tragicoque ruens Cornelius ore ,

* *Henriciade*
promise par
M. de Vol-
taire.

* Vel si quis M A G N I plusquam mortalia facta
 Prædicet H E N R I C I , dignos & Stirpe Nepotes.
 At Lepidum ipsa sibi formet natura Poëtam ,
 Ipsa stilum regat , hujus & exemplum simul , & dux.
 Ecquis

Ecquis enim docuit tenerum sic Anacreonta
 Ludere, per molles ut te violasque rosasque
 Ire putes? age, quis vocalem barbiton ipsi
 Tendebar, sive ille suos laudaret amores,
 Seu plenâ patrem cuppâ te, Bacche, sonaret?
 Natura: hæc & Saphô, finxitque Catullum,
 Dulcem illum, & puro stillantem melle Catullum,
 Ni quandoque malo tingat sua mella veneno,
 Aut si quos similes invidit parca vetustas:
 Nam de Vate, tulit quem Bilbilis, hic licet inter
 Jucundos vulgo jucundior ire Poëtas
 Credatur, non in trutinâ ponendus eâdem;
 Hoc solùm, quòd scriptor amat subtilis haberi,
 Sæpè & persequitur fugitivum odiosus acumen.

Hîc verò mecum advertas, Bœvine, quod & res
 Ipsa jubet, Cottæque parum videre Jocosî,
 Quæ fuerit, vel tum quando studia ista vigeant,
 Festivorum hominum penuria, & hujus avara
 Quam natura boni fuerit, dum cætera vulgo
 Prodigeret. Quid enim? Vates quos Græcia fudit
 Innumeros inter, quotus est qui rideat aptè?
 Anacreon; fermè & solus: dedit alma Catullum
 Roma

Roma suum, post hunc parili quis carmine gaudet?

* *Cavaliero*
Marini.

* Lascivum-ne Equitem dicas, aut Itala quotquot

Ingenia efficiunt ludendo, ut ludere sit res

Absurda, intortis sic vibrant singula cirris,

Sic his subsultans oratio volvitur, ut vox.

Barbaries ex quo Latias Româ expulit artes,

Dedidicere bonæ pariter Jocularia Musæ,

Nec mores tenuere suos; & fòrs etiamnum

Expertes patrii gustûs, succique prioris

Ludere nescirent, ni Gallia (propria nam laus

Hæc est Gallorum) venisset suppetias, &

Prima redonasset Festivi insignia cultûs.

Pro se quisque suos seculo rudior lepôres

Contribuere, vetus Villo, Baïfusque, Patrixque,

Quique diu Maroti famam & partitus honorem est

* Mellinus, Graiæque haud impar Pleiadi Pleias

* *Saint-Ge-*
lais.

Gallica, quæ tota in nugisque Jocoque moratur,

Imprimis Marotus, quo quid jucundius usquam est?

Ut fluit! ut leni currit sententia tractu!

Narrando facilis, nugando callida; simplex

Dictio, sed quam nec venus Attica deserit unquam;

Sermo rancidulus, non ingratus tamen, & quem

Nunc

Nunc quoque non temerè prudens imitator adoptet ;
 Tantum illi virtus innata , & gratia perstat
 Usque recens : verùm ut sermonem quisque imitetur ,
 Non ideò rem ipsam , veneres & reddere possit....

At me interpelles forsan , BœvINE ; quid ergo ?
 Nec famam Maroti , nec lusus attigit ille
 Vetturius , multo qui dum sale defricat Aulam
 Urbanus , potuit Lucianus dicier alter ,
 Et cui Balzaci grandis facundia cessit ?
 Absit Vetturio quidquam decedere laudis
 Musa velit ; scriptor si quis fuit Atticus , ille est :
 Is docuit primus vel maxima vertere ludo ,
 Non illi effronti , sapiens quem nullus amabit ,
 Quemque nimis stultè in Scarrone probavimus olim ,
 Verùm huic legitimo , sano , ingenuèque pudenti ;
 At simul hoc fateare , quòd illi profuerit tum
 Scribere , cum patrio sermone firmior usus
 Constiterat , Maroto qui non obvenit , & unde
 Vetturiana trahunt non parvum scripta nitorem.
 Præterea nostri quis tam admirator ineptè est
 Vetturii , qui non curam limæque laborem
 Sentiat interdum ; scrutandoque altius , ultro

Non

Non ita cum multis statuat, vix vi, meditando
 Illum, sudandoque diu didicisse jocari?
 Non sic Fontanides, cui verè est ludere ludus;
 Omnia persimilis Maroto, gustumque, stilumque,
 Nativosque sales, & venam sponte fluentem;
 Hoc certe gemini, minimùm quod uterque Vetustis
 Debeat, à nullo posthac scriptore imitandus:
 Hos etenim quivis æquare & vincere certet

** Mad. des
 Houlières.*

Nequicquam, quis cedit & * Hulleris, altera Sapho
 Sit licet, & magnos prope par jam femina Vates
 Contingat, seu Pastorum deducere curas,
 Seu placuit levibus distinguere seria nugis,
 Naturæ interpres, sive hîc, seu luserit illic:
 Quin & pollice laudari meruisset utroque,
 Si quàm corpore casta fuit, tam versibus esset,
 Et nimium teneros non suspiraret amores.
 Namque hæc Festivo labes jampridem inolevit,
 Ut non ludatur fermè sine crimine, pauci &
 Innocuos Risus, innoxia Ludicra nôrint.
 Scilicet est tanti Ridere & Ludere, vanum
 Ut Lepidi nomen morum per damna petatur.

Hanc seculi pestem dictis incessere amaris

Tempus

Tempus erat, BœvINE, pudicitiamque tueri;
 At fatis est, & me sermonem claudere tandem
 Musa monet: si quæ risûs exempla modesti
 Noscere quis velit, hunc ad te & tua scripta remitto:
 Nempe aliis Grotius, sis tu Salmasius idem,
 Et scribas Græcè, sicut qui natus Athenis,
 Hæc celebrent docti; indocto mihi habebere semper
 Anacreon, non qui malè sanos cantitat ignes,
 Sed sapiens, castusque, verecundèque Jocosus.
 Si tibi quid restat, BœvINE, quod apprecer, hæc sunt:
 Anni felices, mens læta in corpore firmo, &
 Quo sine vita gravis, Musæ non deficientes.



LUDOVICUS MARIN,
 Humanitatis Professor
 in Sorbonæ-Plessæo.

Cal. Jan. ann.
 M. DCCXXIII.

Typis C. L. THIBOUST.